

stiani nominis Ecclesiae aliquid unanimiter pronuntiant, certum est illam etiam Auctoritatem id pronuntiare, proindeque idipsum esse verum. — Atqui omnes christiani nominis Ecclesiae Romanum Pontificem è jure divino cæteris episcopis superiorem atque totius Ecclesiae essentielle Centrum et Caput pronuntiaverunt, — non modò in subscriptione Formulæ Hormisdanæ et in pluribus antiquis Conciliis generalibus (V. suprâ), quibus omnes tum Occidentis tum Orientis ecclesiae, perpaucis Nestorianis vel Euthychianis gregibus exceptis, subscripsere, — sed et recentius, in Conciliis generalibus tum Lugdunensi II, cui legati Græcorum subscripsere (1), tum præsertim Florentino, ubi non modò Græci sed et omnes illæ remotissimæ Orientis Ecclesiae per legatos authenticos convenere (2), — Deo ita disponente, sub ipso Protestantismi adventu; — atque huic percelebri assensere Latinorum Græcorumque decreto :

» *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum*  
 » *Pontificem in universum orbem tenere primatum, et*  
 » *ipsum Pontificem romanum successorem esse B. Petri,*  
 » *Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, to-*  
 » *tiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum pa-*  
 » *trem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi,*  
 » *regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à D. N.*  
 » *Jesu-Christo plenam potestatem traditam esse, quemad-*

(1) Ita nempe habet confessio fidei missa per B. Gregorium Papam X et subscripta per Imp. Michaellem Palæologum cum pluribus metropolitanis et episcopis patriarchatus C. P., sacro approbante Concilio : « Ipsa S. Ecclesia romana summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex et successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; » etc. (V. *infra*). » (Ap. Labbe, t. XI, p. I, p. 966; vel Mansi, t. XXIV, p. 71).

(2) V. Blanc : *C. d'hist. eccl.* l. c. cXLVI.

» *modum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in*  
 » *sacris canonibus continetur (1). »*

Ergo non modo *traditione* sive per *discussionem* sive per *præscriptionem* verificatâ, sed et *consensu totius Christianitatis* proindeque *Ecclesiae infallibilis*, thesis nostra comprobatur.

Aliunde è Scripturâ sacrâ quoque jam probata est.

Ergo omnimodè constat.

#### COROLLARIUM PROPOSITIONIS.

39. — Ex eo quòd Papa sit Ecclesiae Centrum et Caput essentielle, sequuntur duæ ipsius prærogativæ speciatim à Gallicanis ecclesiasticis olim negatæ, *Infallibilitas* scilicet in Ecclesiam docendo et *Plena Potestas* in eam regendo.

(1) Ap. Labbe, t. XIII, p. 545, vel Mansi, t. XXXI, p. 1031; vel etiam ap. P. Thom. à Jesu : *De unione schismaticorum cum Eccl. cath. procurandâ*, Migne, *Theol.* t. V, p. 453, cum subscriptionibus Patriarcharum et Metropolitanorum.

Mirum est sanè veteres quosdam Gallicanos et cum iis Cardin. à Lotharingiâ, in discussionibus ad 23<sup>am</sup> sessionem concilii Tridentini, negasse œcumenicitatem concilii Florentini, eo quòd præsules de ditione Caroli VII, à rege vetiti, ei interesse non potuerant. Cæteri autem omnes postea Gallicani hanc œcumenicitatem ultrò admiserunt : ita speciatim Nat. Alexander, qui eam eruditè defendit in *Hist. Eccl. Sæc.* XV, Diss. x, art. 1 (ubi etiam Grecorum calumnias confutat); De Marca; Bossuet; Facultas Paris., et totus clerus Gallicanus (*Hist. de l'Egl. Gallie.*, l. XLVIII, a. 1441; vel *Hist. de l'Egl. cathol. en France*, t. XIII, p. 460). — Cæterum neque hi neque illi unquam adhesionem denegaverunt doctrinæ in eo Concilio definitæ (V. Pallavicini : *Hist. Conc. Trid.*, l. XXI, c. VI, 20), licèt nonnullas ejus consequentias reformidarent et explicationibus prævertere tentarent (V. Nat. Alex., *loco cit.*, n. VI).

Multùm speciatim disputabatur non ita pridem utrùm, in definitione florentinâ, hæc ultima verba : *quemadmodum* etc..., essent eorum quæ præcedunt, confirmativa vel restrictiva. Verùm hæc disputatio, quæ ad quaestiones in Corollario mox tractandas referebatur, hodie pro Catholicis nihili est.

§ I. — *Infallibilitas papalis.*

Hæc à nobis Catholicis jam de fide necessariâ tenetur, utpote in SS. Concilio Vaticano exposita simul ac definita his verbis :

« Nos traditioni à fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : *Romanum Pontificem, cum ex Cathedrâ loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro supremâ suâ Apostolicâ auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universâ Ecclesiâ tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam; eâ infallibilitate pollere, quâ divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendâ doctrinâ de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irrefragabiles esse.*

» Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit, anathema sit. » (Constit. DE ECCLES. CHRISTI : *Pastor æternus...*, cap. IV, in fine.)

Hæc autem expositio, — quæ pro nobis jam Catholicis definitio est omninò peremptoria, — pro adversariis, qui nondum in Ecclesiâ nostrâ ipsam Christi veram Ecclesiam agnoverunt, justificanda est aliunde; et hoc quidem, positâ Thesi præced., jam facile præstabitur tum *indirectè* tum *directè* (Cfr suprâ, p. 52, ubi de infallibilitate Auctoritatis ecclesiasticæ in genere) :

*Indirectè* nempe, quia veritas hæc jam in aliâ continebatur veritate quæ semper de fide explicitâ ab omnibus tenenda fuit;

*Directè* verò quia et ipsa satis expressè in Scripturâ fundatur et à pluribus semper Patribus ac doctoribus perspecta fuit atque confessa.

**40.** — *Iº Indirectè demonstratur*, utpote contenta in aliâ veritate, videlicet in illo Centri et Capitis munere quod Petro et Petri successor in perpetuum competere probavimus è verbis Christi, atque imprimis ex his : *Tu es Petrus, etc.*, quodque exinde vidimus apud Christianos universim creditum, imò et pluriès definitum, speciatim in *Formulâ Hormisdanâ* et *Decreto Florentino*.

Etenim ex eo quòd non modò Auctoritas in genere, ut suprâ ostensum est (in cap. Iº), sed Petrus in specie, ut modò ostendimus, semper erit essentielle Ecclesiæ Centrum et Caput, sequitur quòd Ecclesia non modò Corpori pastorum in genere sed Papæ speciatim semper unita ac subjecta manere debet. — Unde sic :

Ex ordinatione divinâ, Ecclesia, quamdiu durabit, debet profiteri veram doctrinam Christi, debet etiam Petro et illius successor adhærere tanquam Centro et obedire tanquam Capiti.

Ergo, ex ordinatione divinâ, quamdiu Ecclesia durabit, i. e., in perpetuum, duæ istæ conditiones nunquam invicem contradictoriæ reperientur, sed simul semper impleri poterunt.

Atqui certè, si Petrus vel ipsius successor aliquid veræ Christi doctrinæ alienum pro verâ Christi doctrinâ profiteri juberet, jam supradictæ duæ conditiones invicem contradictoriæ reperirentur neque simul impleri possent :

Ergo nunquam accidet ut Petrus vel ipsius successor aliquid veræ Christi doctrinæ alienum pro verâ Christi doctrinâ profiteri jubeat (1).

(1) Res è contrario illustretur exemplo, scilicet : è jure olim apud Gallos traditionali, Rex Gallorum debebat esse regis præcedentis quàm proximus

Et quidem, ad hanc conclusionem magis accuratè determinandam, statim observare est Petri successorem seu Papam posse aliquid de fide tenendum tanquam à Christo revelatum injungere duplici modo, *anathemate* scilicet *adjecto* vel *non adjecto* contra renuentes tanquam in fide errantes. Porro in utroque casu nostra conclusio valet. Etenim

1º, quando S. Pontifex aliquid de fide tenendum injungit, atque, anathemate simul contra renuentes adjecto, omnem cum eis communionem seu cultus communitatem abruptit, tunc certè impossibile fit ullam cum eo unionem servare, nisi definitioni ita injunctæ reverà assentiatur.

Insuper autem et 2º, quando S. Pontifex aliquid de fide tenendum injungit, sed, non adjecto contra renuentes anathemate (1), nondum cum eis omnem prorsus commu-

---

è masculis hæres, itemque simul catholicam profiteri Religionem. Porro, sub Henrici III morte, duæ istæ conditiones sibi invicem factæ sunt contradictoriæ, eo quòd Henricus Navarrens is hæres quidem erat defuncti regis quam proximus è masculis, sed catholicam Religionem non profitebatur; atque hinc alii quidem priori conditioni standum censebant, alii verò potiùs posteriori. Quòcumque autem res vertisset, constitutio nationalis certè alterutrâ ex parte immutanda erat, nisi Henricus IV per suam abjurationem utramque partem rursus conciliasset. Verùm, quod accidere potuisset in constitutione nequaquam à Deo assecuratâ, non accidere potest in constitutione ab ipso Deo datâ et in perpetuum firmatâ, qualis est constitutio Ecclesiæ. Ergo nunquam successor Petri à verâ Christi doctrinâ, prout dictum est, deficiet. — Ideoque de unione cum Papâ speciatim semper verum erit quod de unione cum Corpore pastorum generatim dixisse videtur S. Augustinus: « Deus in cathedrâ unitatis doctrinam posuit veritatis... »; igitur « præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas. » (*Epist.* cv, alias clvi, n. 16; et *Contra Epist. Parmeniani*, l. II, n. 25.)

(1) Hujusmodi exemplum habetur apud nos in celebri Encyclicâ: *Quanta cura...*, a. 1864, quæ profectò consentaneè ad nostram præsentem conclusionem à Pastoribus et Fidelibus generatim accepta est. Quânam autem ratione S. Pontifex sic induci possit ad temperandum ab anathemate, etiam cum fidem injungit, nobis forsân haud difficile est perspicere. Ille nempe

nionem ipso facto abruptit, tunc quidem possibile videtur ut quis injunctum renuens assensum, *aliquam* tamen cum Pontifice injungente retineat adhuc unionem, at certè *non illam* unionem quam cum Centro Ecclesiæ perpetuò servare tenemur. Illa quippe quam servare tenemur non in aliquâ tantùm cultus communitate consistit, sed imprimis in ejusdem fidei professione. Hoc sequitur — 1 — ex naturâ societatis ecclesiasticæ quæ tam in profitendâ communi fide consistit quàm in exercendâ communi actione. V. suprâ n. 37, p. 110, et cfr Conc. Vatic., *De Eccl.*, c. III, ante med.). Hoc etiam — 2 — declaratur in pluribus ex iis testimoniis quibus necessariam unionem cum Papâ utpote Centro Ecclesiæ probavimus, ac speciatim in *Formulâ Hormisdanâ*. Ergo quisquis fidem per Pontificem Ecclesiæ definitivè injunctum renueret profiteri, debitam cum Centro Ecclesiæ unionem non servaret, etiamsi quandoque, non adjecto anathemate, ab illo nondum penitus separatus videretur.

Ergo denique sive cum anathemate, sive absque anathemate definitio fidei à Papâ toti Ecclesiæ injungatur, illa definitio nunquam esse potest falsa. Si enim falsa foret, *tota Ecclesia simul* in necessitatem veniret aut *errandi* post suum ducem; — quod repugnat: — aut ab eo *se separandi* sive omninò, sive saltem quoad fidem; — quod etiam repugnat. Ideoque Concilium Vaticanum, dum conditiones definitionis infallibilis accuratè describit, adjunctionem anathematis inter eas minimè recenset (1).

---

animis cæteroquin non desperatis sed præconceptâ opinione pro momento implicatis prudenter parcit, ne quasi ex inopinato perculti inde in contumaciam forsân impellantur et perditionem immediatè consequentem, dum, è contrâ, sibimet aliquantulùm derelicti, ad perpendendam hujus decisionis vim, ei paulatim assuefient et ad submissionem devenient, quam statim ac rigorosè expetitam forsân abnuissent.

(1) Multi, imò et gravissimi auctores, ante Concilium Vaticanum, ad infallibilitatem definitionis pontificiæ exigere videbantur ut anathema adjici-

**41. — Gallicanorum ad declinandum infallibilitatem papalem effugium prævertitur.** — Ex dictis abundè liquet quantà sese implicabant contradictione Gallicani quotquot tantisper olim catholici, qui nempe Papam, ut suprà dictum est, centrum Ecclesiæ essentielle profitebantur, et ipsum tamen in definiendo (etiam cum anathemate) non infallibilem esse volebant, « nec irreformabile esse ejus judicium » (1). — Quam contradictionem plures ex eis apprimè sentientes, ut illam à se quoquo modo repellerent, distinctionem excogitaverunt inter *sedem et sedentem*. « Nempe, inquiebant, S. Sedes apostolica, *id est Pontificum series*, reverà indefectibilis est in fide, eo sensu quòd Romani Pontifices, utpote Petri successores, non possunt deficere à fide *permanentur*, uti defecèrè Pontifices Alexandrini vel Constantinopolitani (2); ideoque

lur expressè aut saltem æquivalenter. Ita v. g., Fénelon : *Dissert.* suprà cit. c. 1, 3<sup>o</sup>; — Perrone : *De locis theol.*, p. 1<sup>a</sup>, n. 726, itemque in *Compendio*, n<sup>o</sup> 418; — Maur Capellari (Greg. XVI) : *Triomphe du S. Siège et de l'Egl.*, ch. xxiv; ap. Migne, *Démonst. Evang.* t. XVI, p. 1038 et s.; — Ballerini : *De primatu*, etc., c. xv, § 6; *Theol.* Migne, t. III, p. 1195; — etc. — Si tamen auctores, si propiùs inspiciantur, non forsàn à nostrà præsentì conclusionè dissensisse deprehenduntur (V., v. g., Greg. XVI, cap. cit. n. 5, p. 1039), sed ita tantùm esse locutos quia illos solos casus in causam adducere volebant in quibus tunc nullus tergiversandi fingi poterat locus.

Cæterùm et ipse Bossuet decreta Conciliorum generalium circa fidem, *etiam absque anathemate*, valere asserit et adstruere nititur (*Def. Declarat.* l. VI, c. xix). — Ergo, ubi quis agnovit Papam eadem infallibilitate pollere ac ipsam Ecclesiam, agnoscere debet consequenter illius definitiones *etiam absque anathemate* esse pariter irreformabiles.

(1) Hinc Fénelon argumentum allatum contra eos mirum in modum urget (*De S. Pontif. auctoritate*, c. III), imò et quasi in spectaculo ponit, disputationem referens Episcopi Tornacensis cum Bossuetio (c. VII) : — quæ videre erit ad calcem in *APPENDICE VI*.

(2) Atque in hoc sensu interpretari conabantur propositionem 7<sup>am</sup> Petri de Osma olim à Sixto IV damnatam : « Ecclesia urbis Romæ errare potest. » — In quam V. Blanc, leç. CXLVIII, n. 2.

eorum Sedes seu series verè remanet incommutabile Ecclesiæ Centrum, cui quisque Christianorum, in unoquoque temporis puncto, unitus remanere debet. Verùm unusquisque Romanorum Pontificum potest, etiam definiendo et anathematizando, errare *transitoriè*, ita tantummodò ut, reclamantibus undique episcopis, ipse aut saltem ejus successor mox ad veram doctrinam revocetur, et sic reperitur *series* indefectibilis. »

Hæc est famosa distinctio quam velut unicum fere suæ opinionis præsidium proferre solebant Gallicanorum plurimi atque ipse imprimis Bossuet (1).

..... Miror, et idem

Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.

Neque sanè intelligere est quomodo adeò desperatam distinctionem admittere potuerint, nisi præ extremâ necessitate opinionem defendendi sibi è præjudicio vel auctoritate humanâ impositam.

Talis quippe distinctio atque explicatio 1<sup>o</sup> omninò gra-

(1) Bossuet : *Defensio declarationis cleri Gallicani*, speciatim L. X, c. v. — Cfr *Discours sur l'Un. de l'Egl.* 1<sup>o</sup> p., paulò post init. : « Que, contre la coutume de tous leurs prédécesseurs, etc.... » — Item, Regnier : *De Eccl.*, ap. Migne, *Theol.* t. IV, p. 998. — Quidam quidem Gallicanorum distinctionem *Sedis et Sedentis* aliter exposuerant; quippe qui per sedem Apostolicam intelligebant ecclesiam Romæ particularem unâ cum Romano Pontifice synodicè judicantem, neque judicio huic illud abnuebant infallibilitatis privilegium quod judicio Pontificis solius denegabant. Ita, ut videtur, ipse nimium famosus Launoy (V. ap. Tournely : *Tr. de Eccl.*, t. II, p. 132). Quum autem sensissent hanc viam parùm sibi profuturam ad declinandas pontificales decisiones (sicuti adversus eos observat Charlas : *Tr. de Libert. eccl. Gallic.*, 3<sup>o</sup> edit., l. X, c. III, n. 15; c. VI, n. 6; cit. ap. Tournely, *ibid.*), inde ad interpretationem sibi commodiorem sese, cum Bossuetio, converterunt, jam, in S. Sede, non ecclesiam romanam cum actuali Pontifice consentientem, sed successivam quandam Pontificum seriem significari volentes. — Non defuerunt tamen postea, sicut et antea, qui priori explicationi adhæserunt, imò et quidam mente minimè gallicanâ, quemadmodum infrà dicitur.

*tuita erat et improbabilis* utpote aliena à sensu quem verba præ se ferunt ac speciatim in Traditione ecclesiastica habere solent. Neque enim cuiquam profectò illa in mentem spontè venisset; neque unum quod sciam, exemplum hujusmodi distinctionis in eo sensu è scriptis Patrum proferunt (1); dum, è contrà, multa citari possunt in quibus jura et privilegia Sedis cuique actualiter Sediti attribuuntur, quæcumque aliunde habeantur merita hujus personalia (huc refer plura è testimoniis suprâ citatis vel indicatis, v. g., S. Optati, S. Hieronymi, etc.) (2)

(1) Mirum sanè quam confidenter Bossuetius ipse (*Def.*, l. X, c. v) *vel hoc unum S. Leonis* quasi è multis satis futurum allegat: « Aliud sunt » sedes, aliud præsidens. » (*Epist.* 106, ad *Anatol. C. P.*, n. 6): — quum è toto contextu pateat hoc unum illic significari, merita scilicet sedentium nihil habere commune cum juribus sedium; « etsi enim, ut idem » Sanctus alibi etiam habet, diversa nonnunquam sunt merita præsulum, » jura tamen permanent sedium. « (*Epist.* 119, ad *Maximum Antioch.*, n. 3). Quid autem inde in adversariorum causam, qui nempe non merita tantùm sed jura ac privilegia sedentium à juribus et privilegiis sedium distinguere volunt? (V. Ballerini, op. cit., c. xiv § 5, ap. Migne, *Theol.*, t. III, p. 1132).

Illo igitur remoto, nullum aliud hujusce distinctionis proferunt exemplum è *Patribus*. Unum duntaxat adnotat Fleury (*Hist. eccl.*, l. LXXXIII, n. 49) è Justiniano Imperatore *theologizante*, in Epistolâ quâdam ad Episcopos C. P. congregatos (circa quam Epistolam à Baluzio repertam et inter *Acta Conc. gen. V* extunc insertam, cfr. D. Ceillier, T. XVI, p. 763, et DD. Héfélé, T. III, p. 506). Duo insuper alia exempla, è IX<sup>o</sup> sæc., et minimè ad rem, idem Baluzius allegat (in *notis* ad S. Agobard., ap. Migne *Patr. lat.* T. CIV, p. 300). — Verùm quid paucula illa, sensus satis incerti, et ab hominibus nullius auctoritatis, contra tantam traditionem valent?... (Cfr. D. Bouix: *De Papâ T. I.*, p. 284 et ss.; — vel DD. De la Tour d'Auvergne, archiep. Bituric., in op. mox cit.: *La Trad. cath.*...., T. I, ch. vi).

(2) V. Ballerini, loco cit., et præsertim D. Bouix op. cit., p. 267 et ss. Huc etiam conferre esset generatim locos à P. Coustant notatos: *Epistolæ Rom. Pontificum*; V. in hujus Indice art. ita incip.: *Apostolica Sedes pro Romano Episcopo*.

Ergo 1<sup>o</sup> Gallicanorum distinctio et explicatio omninò *gratuita erat et improbabilis* (1). — Item verò

2<sup>o</sup> *falsa et inadmissibilis demonstratur è consequentiis*, siquidem totam constitutionis ecclesiasticæ rationem destruit, utpote nata auctoritatem eludere Centri et Capitis in Ecclesiâ essentialis, imò et indirectè totius ipsius Corporis.

Etenim S. Sedes, ut possit Centrum et Caput communionis catholicæ verè utile et obligatorium existere, esse debet profectò aliquid semper hic et nunc reale et indeclinabile. — Atqui, juxta explicationem Gallicanorum, non erit, in unoquoque momento, nisi aliquid abstractum, quod semper in præsentì declinari poterit ut ad præteritum et futurum appelletur, sicuti hæreticorum mos est. — Ergo jam non Centrum et Caput Ecclesiæ verè utile et obligatorium sed, ut apprimè ait Thomassinus (*Dissertationes in concilia*, Diss. XX, n. 17 p. 911), « inane figmentum est » vacuumque simulacrum et sine mente sonus, » cujus auctoritatem pro tempore præsentì semper eludere poterunt, dicentes nempe sese successorì Petri adhærere et obedire teneri *heri* quidem et *crâs*, non autem *hodiè*. (2)

Imò et inde non tantùm Papæ, sed et totius Corporis

(1) Hinc certò jammodò mirari est, cum Zaccaria (*Antifebronius*, 1<sup>re</sup> p., Dissert. II, ch. x; *Traduct.* t. II, p. 156) quàm exili fundamento superstruatur gallicanum systema; nempe, inquit ille, « il repose tout entier sur » ce que dans plusieurs de ces passages (de la Tradition), c'est le Saint » Siège qui est nommé au lieu du Pape lui-même; C'est à dire que si, » dans ces passages, c'était le Pape qui eût été nommé à la place du Saint » Siège, tout l'édifice élevé par Bossuet tomberait en ruine. Mais il n'est » rien de plus ordinaire, même aujourd'hui, que de nommer indifféremment » le Saint Siège au lieu de nommer le Pape. Par conséquent, etc... »

(2) Et certè ut observat Rev. D. Guéranger (*De la Monarchie pontificale*, p. 13 et 76), Jansenistæ, — qui primùm, ante declarationem a. 1682, ab Innocentio X damnati, illius condemnationis non vim recusare tentaverant sed tantummodò sensum eludere per distinctionem *juris et facti*, — ubi denud, post supradictam declarationem, à Clemente XI condemnati sunt, statim vim ipsam hujus judicii floccifacere præsumperunt per appellatio-

Ecclesiæ auctoritatem pari, si libuerit, explicatione eludent. Si enim tot ac tanti Scripturæ vel Traditionis textus qui de Centro et Capite Ecclesiæ perpetuo nec non de obligatione ei semper adhærendi ac obediendi habentur, non aliam in eo probent ac illam indefectibilitatem seu infallibilitatem, ut ita dicam, *intermittentem*, — cur et aliquid amplius ii etiam probarent qui de toto Ecclesiæ Corpore et de obligatione ei semper consentiendi loquuntur? Jam igitur quispiam sententiam et anathemata totius etiam Ecclesiæ recusare poterit tanquam à veritate, ad tempus, deflectentis; et sese tamen poterit habere tanquam adhærentem indefectibili Ecclesiæ Corpori, *id est, seriei* Pastorum cum Fidelibus ab Apostolis succedenti, quæ nimirum,

nem à Papâ ad Concilium ac dein ab episcopis de infallibilitate Papæ præoccupatis ad episcopos independenter judicantes. (Et cfr. ap. Bérault-Bercastel: *Hist. de l'Egl.*, ed. Henrion, T. IX p. 567, jam paulò ante mortem Ludovici XIV, procrastinationes parlamentorum ne Bulla acceptaretur. — Nec in consequenter admodum ad gallicana principia Dr. anglicanus Wake illis scribebat: « Clemens Papa vos abdicavit, à suâ et suorum communione repulit, rejecit. Vos illius auctoritati renuntiate. *Cathedræ Petri* » quæ in omnibus catholicis (ad sensum Anglicanorum) ecclesiis conservatur, adhærete: etiam nostram ne refugiatis communionem.... Nobis » certè eo minùs vos vel hæreticos vel schismaticos fore confidite, quòd à » Papâ ejecti pro hæreticis et schismaticis Romæ æstimemini. » (*Epist.* ad Drem Girardin, 1718, ap. Mosheim: *Hist. eccl.*, t. VI, p. 122). — Nec aliter hodie *Veteribus Catholicis* blandiuntur Protestantes.

Cæterum ii qui animo magis catholico erant, Gallicani mirum in modum torquebantur ut obligationem sese submitteendi Papæ definienti admitterent, quam nimis evidenter exigebat Centri et Capitis ratio nec non tota expressè Traditio. « Adest nimirum, inquebant 1º *obligatio externa silentii* (non tamen pro episcopis, per quos, nempe, Papa falsò definiens ad veritatem revocandus est); imò et 2º adest *aliqua obligatio interna*, etiam antequàm constet de *acceptatione ac consensu aliarum ecclesiarum* (Tourneley, *De Eccl.*, t. II, p. 277, 285); debetur obsequium mentis interius, suspensivum saltem dissensûs, imò *assensum* implicans *ferè certum*, etc.... » — Quæ profectò omnia non magis sensui Traditionis respondent quàm jussioni Pontificis verum ac plenum assensum jubentis; nec pericula schismatis et hæreseos nimis proxima removebant.

inquiet, non perit per momentaneam illam eclipsim!... Atque ita indirectè, per distinctionem gallicanam ad totum nempe Ecclesiæ Corpus applicatam, omnis eludetur hujus ipsius Corporis auctoritas (1).

Ergo denique Gallicanorum distinctio et explicatio totam constitutionis ecclesiasticæ rationem destrueret;

(1) Item et alia tria quas Gallicani nonnulli subinde intorquere tentabant ad declinandam auctoritatem S. Pontificis, similiter retorqueri potuissent ad declinandam auctoritatem totius Pastorum Corporis; atque inde statim falsæ et inadmissibiles probantur.

Sic, v. g., quandoque dicebant: « Ut dogma definitum à tali vel tali super Cathedram Petri sedente, eo ipso fieret de fide, oporteret de fide esse quòd talis vel talis super cathedram Petri sedeat *legitimè*, seu aliis verbis, sit verè *Papa*. Atqui hoc non potest unquam esse de fide, utpote factum humanum nequaquam in Revelatione contentum. Ergo nunquam dogma ab illo definitum eo ipso fieri poterit de fide. »

**Retorqueo:** « Ut dogma definitum à talibus vel talibus sese Apostolorum successores gerentibus, eo ipso fiat de fide, oportebit de fide esse quòd tales vel tales Apostolis successerint *legitimè*, seu, aliis verbis, sint verè *Pastores*. Atqui hoc non potest unquam, etc.... Ergo nunquam dogma ab illis definitum, etc.... »

Item etiam: « Esto, inquietabant; talis vel talis est verè Papa et consequenter infallibilis. Verùm, ubi errorem definire attentabit, eo ipso desinet esse Papa (quemadmodum censet Bellarminus de Papâ qui fieret privatim hæreticus; videb. infra). Ergo nunquam definitioni ullius Pontificis tutò credere poterò, antequàm exploratum habuerim Ecclesiæ consensum, quia nunquam scire poterò, nisi per hunc consensum, an definitio procedat ex Papâ adhuc Papâ, proindeque sit reapse infallibilis. »

Etiam hic **retorqueo:** « Esto quòd tales vel tales sint verè Pastores et consequenter collectivè infallibiles. Verùm ubi errorem definire attentabunt, eo ipso desinent esse verè Pastores. Ergo nunquam definitioni ullius Concilii tutò credere poterò, antequàm exploratum habeam conformitatem ejus cum doctrinâ Christi, quia nunquam scire poterò, nisi per hanc conformitatem, an definitio procedat ex pastoribus adhuc Pastoribus, etc. »

Hæc satis certè pro viro catholico ut ab istis Gallicanorum cavillationibus caveret. Non enim vero niti poterant supposito talia argumenta, è quibus omnis illa auctoritatis via, quam supra ad eò necessariam, ad eò Scripturâ et Traditione certificatam probavimus, jam planè evasisset impossibilis. Quid autem falsi reapse in iis latebat, ex dicendis postea patebit.

proindeque *falsa* è consequentiis demonstratur, et nequam admitti potest.

Ergo verum ac certum remanet Papam, ex eo quòd sit Ecclesiæ Centrum et Caput essentielle, esse necessariò, prout suprà exposuimus, in docendâ Ecclesiâ infallibilem (1). — Item verò

**42. — II° Infallibilitas papalis directè etiam confirmatur.** — Inter innumera quæ reperire est in id testimonia apud Auctores (2), plurima sunt quæ directè *necessitatem communionis* cum S. Sede exprimunt atque eo ipso

(1) Hinc patet SS. Concilium Vaticanum, infallibilitatem papalem definiendo, non dogma reapse à primatiâ Petri distinctum definivisse. Petri namque primatia, qualem probavimus, unum est dogma quod duplicem, ut ita dicam, habet faciem, unam scilicet magis extimam et omninò practicam, quæ est *necessitas communionis perpetuæ cum S. Sede*, alteram intimam magis ac speculativam, quæ est *eiusdem Sedis infallibilitas*. Primam quidem ab omnibus explicitè agnoscì semper exegit Ecclesia; nec enim sine hoc vivere potuisset: alteram verò à nonnullis toleravit ignorari, imò et in his ultimis sæculis negari per distinctionem quamdam logicè impossibilem, quam tandem proscripsit ne in ipsam etiam praxim illa redundaret.

(2) Præter veteres theologos, uti Bellarmin.: 3<sup>a</sup> *Controv. gen. de S. Pont.* l. IV, c. III; — Rocaberti: *De infallib. R. Pont.*, l. I, c. VII et ss.; in quibus nonnunquam opus est critico testimoniorum examine; — V., inter recentiores, Charlas, *Tr. Libert. eccl. gallic.*, l. X in 3<sup>a</sup> edit., VII in 1<sup>a</sup>; Orsi, *De irreformabili R. Pontificis judicio*; vel ex iis qui faciliùs adiri possunt, Petit-Didier, *De Auctor. et infallib. SS. Pontificum*, ap. Migne, *Theol.* t. VI; — inter nuperrimos autem, gallico idiomate, D. Guéranger: *De la monarchie pontificale*, è quo potissimùm sequentia testimonia, pauca quidem è multis, deprompsimus; item et opusculum DD. De Segur: *Le Souverain Pontife*; ac demùm DD. de la Tour d'Auvergne, archiep. Bituric.: *La Tradition cathol. sur l'Infaillibilité pontificale* (1873); nec non R. P. Bottalla S. J.: *De la souveraine et infaillible autorité du Pape dans l'Eglise* (1877).

Cæterùm ipse Tournely, inter Gallicanos doctores gravissimus, ita XVII<sup>o</sup> sæc. candidè fatebatur: « Non dissimulandum difficile esse in tanta testimoni- » moniorum mole..... non recognoscere apostolicæ Sedis seu romanæ Ec- » clesiæ certam et infallibilem auctoritatem; at longè difficilius est ea

indirectè ejusdem infallibilitatem ut modò ostensum est. Sunt autem et non pauca alia quæ ipsam *infallibilitatem* satis apertè declarant. Sic 1<sup>o</sup> istud è **Scripturâ** (Luc., XXII, 31, 32): « *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos* » *ut cribaret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te ut* » *non deficiat (μη ἐκλείπη) fides tua; et tu aliquando con-* » *versus (1), confirma (στηροῦσον, fudamenti instar) fratres* » *tuos;* » — quandò nimirùm, post resurrectionem meam, jam in munus tibi antea promissum constitutus tandem fueris, his videlicet: *Pasce agnos... Pasce oves.*

Porro, è manifesto promissionum scopo et ipso Gallicanorum confesso, hæc verba *Confirma fratres tuos*, ad successores Petri sicut et ad ipsum Petrum pertinent, imò enixiùs quàm ad ipsum Petrum. — « Cette parole: *Affermis tes frères*, inquit Bossuet, n'est pas un commandement qu'il fasse en particulier à saint Pierre: » c'est un office qu'il érige et qu'il institue dans son » Eglise à perpétuité... Il y devait toujours avoir un Pierre » dans l'Eglise pour confirmer ses frères dans la foi..., et » cette autorité était d'autant plus nécessaire aux successeurs des Apôtres, que leur foi était moins affermie que » celle de leurs auteurs. » (*Médit. sur l'Evang.; la Cène*, 72<sup>e</sup> j.) (2).

» conciliare cum Declaratione Cleri gallicani, à quâ recedere nobis non » permittitur.... » (*De Eccl.*, t. II, p. 134.)

(1) V. circa sensum proprium hujus quasi hebraicæ locutionis, quæ verisimiliter nihil aliud significat quàm, ut ait S. Augustinus (Sermo. CCX, 6): « *Vade et conforta...* », R. P. Schneemann: *Etudes des P. Jésuites*, mai 1868, p. 623; — R. P. Bottalla, op. cit., T. I p. 48 not.; — etc. — Parùm cæteroquin refert quisquis sensus accipiatur.

(2) Mirati sunt non pauci, imò et conturbati, præ confidentiâ quâ Pseudo-Janus ac præsertim auctor cujusdam quasi de eodem compendii: *Considérations présentées aux évêques du Concile...* (Dœllinger) doctores quotquot provocabant qui hanc Christi promissionem etiam ad successores Petri referunt, et eos perjuri arguebant erga professionem fidei à Pio IV præscriptam, utpote recedentes ab interpretatione Patrum usque ad Agatho-

Atqui — 1 — certè nullus alios perpetuò confirmare poterit, si non et ipse perpetuò firmus sit (1); ideòque — 2 — Christus istud præmiserat tanquam medium ad fi-

nem Papam (a. 680) *unanimi*. — Observandum est porro 1° *Janistas* nostros hanc assertionem cum provocatione et perjurii incusatione, de verbo ad verbum, desumpsisse à Launoï (*Epist. ad Jac. Bevilaquam*, opp. t. V, p. II, p. 71), tacito semper illius nomine; — 2° ipsos autem, Launoïo prudentiores, non testimonia Patrum nostris oculis subjecisse; nam ex illis omnibus patuisset — 1 — ne unum quidem Patrum ea verba ad Petrum applicuisse, *exclusis formaliter ejus successoribus*; — 2 — plurimos ea ad Petrum ita applicuisse ut manifestum sit eos intendisse Petrum in successoribus suis viventem, sicut et quoad cæteras ejusmodi promissiones solent: — ita, v. g. S. Cyrill. Alex. *Comment. in Lucam*, XXII; — S. Augustin. *Enarrat. in Ps. CXVIII*, v. 435; — Stephanum Dorensem, ap. Labbe, t. VI, p. 104; etc.; imò — 3 — plures Agathone anteriores illud expressè declarare. Atque hic vel S. Leonem audiant dicentem (plùs quàm 200 annis ante Agathonem): — «... Tantam potentiam » dedit ei quem totius Ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris » temporibus rectè per nos agitur rectèque disponitur, illius operibus, il- » lius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: *Et tu conversus con-* » *firma fratres tuos*, et cui post resurrectionem suam Dominus ad » trinam æterni amoris professionem mysticà insinuatione ter dixit: » *Pasce oves meas*. Quod nunc quoque procul dubio facit et mandatum » Domini pius Pastor exsequitur, confirmans nos cohortationibus et pro » nobis orare non cessans, ut nullà tentatione superemur.» (Sermo IV, *de anniv. assumptionis suæ*). — Item et S. Gelasius; item et Pelagius II; item et S. Vitalianus; etc. (V. hæc testimonia collecta à DD. Manning: *Lettre pastorale* vulgò dicta *Hist. du Conc. du Vatican*, p. 406 et ss. — Cfr et Charlas, op. cit., L. X, c. III.).

(1) « Et de vray, si le confirmateur fut tumbé, tout le reste ne fut-il pas » tumbé? Si le confirmateur biaize ou chancèle, qui le confirmera? Si le » confirmateur n'est pas ferme et stable, quand les autres s'affoibliront, » qui les affermira? Car il est escrit: Si l'aveugle conduit l'aveugle, ilz » tumberont tous deux en la fosse. Si l'instable et le foible veut soustenir » et rasseurer le foible, ilz donneront tous deux en terre; si que nostre » Seigneur donnant l'autorité et commandement à saint Pierre de confir- » mer les autres, il luy a quand et quand donné le pouvoir et les moyens » de ce faire; autrement pour néant luy eut-il commandé choses impos- » sibles. Or les moyens nécessaires pour confirmer les autres et rasseurer » les foibles, c'est de n'estre point sujet à la foiblesse soy-mesme, mais

nem: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua*.

Ergo reapsè fides Petri, etiam in successoribus ejus, nullo tempore deficiet (1), saltem in quantum necessaria est ut officium confirmatoris publici impleri possit, i. e., saltem in declarationibus illius fidei solemnibus. (Cfr infra n. seq.)

Et verò, secùs, Petrus nedùm confirmaret fratres, esset à fratribus *confirmandus*; nedùm pasceret oves, esset ab ovibus *pasendus*: — quod certè absonum est.

Item et 2° de **Traditione**. Etenim Patres qui tam explicitè necessitatem perpetuæ cum Sede apostolicà communionis declararunt, non potuerunt certè non intelligere inde ne-

» d'estre solide et ferme comme une vraye pierre et un rocher. Tel estoit » saint Pierre en tant que Pasteur général et Gouverneur de l'Eglise.... Or » tout cecy n'a pas eu seulement lieu en saint Pierre, mais en ses succes- » seurs. Car la cause demeurant, l'effect demeure encore... Les successeurs » doncques de saint Pierre ont tous ces mesmes privilèges, qui ne suivent » pas la personne, mais la dignité et la charge publique.» S. Franc. de Sales.: *Controverses, Discours XL*; ed. Vivès, T. VIII p. 412, ubi totus legendus est S. Doctoris locus.

(1) Hoc etiam Bossuet concedit sed in sensu suæ indefectibilitatis *intermittentis* (suprà n. 41), quam probare etiam conatur exemplo subsumpto à Petri ipsius defectione momentaneà: « La foi romaine a toujours été la » foi de l'Eglise... Qu'importe qu'il y ait peut-être, dans tout cette belle » suite, deux ou trois endroits fâcheux? (Cfr infra, n. 44) La foi de saint » Pierre n'a pas défailli, encore qu'elle ait souffert quelque éclipse dans » le reniement, qui lui a été particulier, et dans l'incrédulité qui lui a été » commune avec ses frères les Apôtres. Il en est ainsi de S. Pierre consi- » déré dans ses successeurs... etc.» (*Médit. sur l'Evang.; la Cène*, 72° jour). — Verùm non advertit vir doctissimus sed præconceptis opinio- nibus præoccupatus, — 1 — omne inde flocciferi officium confirmatoris, quippe cui nunquam hic et nunc confidi poterit, ut suprà ostensum est; — 2 — non modò defectionem permanentem sed et illam ipsam præcisè fidei *eclipsim* excludi vi verborum Christi... *μη ἐκλειπη* (Schneeman, art. cit., p. 642); — 3 — demùm exemplum à S. Petro subsumptum minimè ad rem facere; nec enim in hoc Petrus munere confirmatoris fungebatur, sed tantùm ut privata persona agebat; necdum etiam in Papatum sibi promissum constitutus fuerat, quem nempe nonnisi post Resurrectionem accepit.